



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

3 Sit ne proximus constitutus in occasione peccandi venialiter corrigendus  
ex obligatione?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

obligaris. Egid. de Coninch. disput. 28. de correctione. dub. 3. num. 35. Suar. tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 8. n. 3. & 8.

3 At si proximus peccauit, & insuper est in periculo iterum labendi omnes. Doctores censent tunc proprie esse obligationem correctionis, quia proximus est in graui miseria. Tum ob peccatam commissam, tum ob periculum simile committendi. Item honor diuinae ibi periclitatur.

4 Sed quid si proximus non secretè, sed publicè peccat, & à magistratibus sic permittitur, teneris ne illum corrigere, si spes esse fructus? Videris obligatus non esse, quia te opponis licitæ magistratus permissioni. Venerij occasio, vt in republicam maiora mala ingrediantur. Cæterum dicendum est te obligatum esse. Sic Egid. de Coninch. disput. 28. de corrept. dub. 3. numero 33. Ratio est, quia & Deus offenditur, ac proximus sibi malum infert. Ergo si hæc auertere potes absque periculo grauioris mali, obligaris. Quod autem id fieri possit, constat, quia conuersionibus permisso malè viuendi à magistratibus concedatur, ex quo manifestè constat differentia, quare magistratus non teneatur hos peccatores impedire, & remouere, sed possit illos permittere, tu verò teneris vnum, vel alium corrigere quia magistratus non potest vnum, vel alterum corrigere, quin omnes impediatur, cum non adest ratio, ob quam potius vni, quam alteri permissionem concedat. At ex correctione vnus non obligaris omnes corrigere, neque ex vnus correctione, omnes correcti manebunt.

5 Quod si proximus peccauit, cares tamen periculo iterum habendis dubium est, an teneris illum corrigere?

Bannes, 2.2. quest. 32. art. 3. dub. 1. ad 4. & Valent. disp. 3. quest. 10. part. 2. pag. 662. Bonac. disp. 3. quest. 4. part. 7. num. 4. & ex parte consentit Suar. de charit. disp. 8. sect. 3. num. 8. affirmant obligatum te esse corrigere proximum in peccato habituali existentem, etiam si ipse non teneatur tunc de illo penitere, si speres tua correctione fore, vt peniteat, Mouentur, quia existens in peccato existit in periculo damnationis, quo nulla est maior miseria. Ergo cum correctio ad subleuandam miseriam proximi dirigatur, efficitur tanè ad hominem existentem in peccato habituali dirigi. Adhuc enim ibi omnes circumstantiæ: ad obligationem huius præcepti inducendam, videlicet proximum esse in graui miseria, & te posse absque tuo incommodo ab illa eum liberare. Quod verò ipse proximus non teneatur tunc à peccato surgere, in causa non videtur esse, quominus tu non teneris resurrectionem procurare; ipse enim cedere potest iuri suo, & gratiæ sibi donandæ: ac tu non potes cedere bono alterius ex tua correctione sperato. Deinde obligatio peccatoris surgendi à peccato, & obligatio illum corrigendi, à diuersis virtutibus ortum habent; obligatio enim in peccatore surgendi à peccato habituali, vel ex virtute charitatis, qua ipsum teneris diligere, vel ex virtute penitentiar, qua teneris Deo pro peccato facto satisfacere, oritur; ac obligatio illum corrigendi ex misericordia nascitur, quæ attendit miseriam proximi subleuare. Ergo cum hæc obligationes diuersæ sint, stare optimè potest obligatio misericordiar, absque obligatione charitatis, atque adeo te esse obligatum corrigere, etiam si alius non sit obligatus à peccato surgere.

6 Nihilominus etsi supradicta sententia probabilis sit, probabilior existimo contrariam, nempe peccatum mortale, quatenus tale est, non esse materiam præcepti correctionis, sed solum esse, quando timetur non fore corrigendum proximum suo tempore de illo: quare si à te vel alio speratur suo tempore corrigendum, non teneris illum de præsentibus corrigere, etsi possis: ita docet Abulen. in Matth. 18. questio. 81. Gloia in cap. si peccauerit, 2. quest. 1. Reginald. om. 1. lib. 4. cap. 25. num. 332. Sotus de regendo secreto. quest. 2. concl. 2. Lorca 2.2. questio. 33. articulo. 5. disp. 4.1. num. 3. Eman. Saa. verbo correctio. num. 1. & nu. 5. in editione Romana. Villalobos. tom. 2. sum. tract. 4. difficult. 2. num. 4. nobiscum consentit Suar. disput. 8. sect. 3. num. 7. vbi ait. Si videas proximum peccasse, & probabiliter existimas suo tempore acturum penitentiam, & ex hoc peccato non sumpturum occasionem peccandi, non teneris illum corrigere: idem tenet Torres, 2.2. quest. 33. disput. 86. dub. 2. pag. 1079. Egid. de Coninch. disput. 28. dub. 9. numero 117.

Ratio est, quia non censetur proximus in graui necessitate esse constitutus, nisi ex occasione peccati commissi, sumat occasionem illud peccatum committendi, aut probabiliter existimetur ita permanitur in illo peccato, vt suo tempore de illo non doleat: quod iam est nouum peccatum. Extra hoc periculum perseverantia in peccato, etiam si grauis miseria sit, non tamen ex misericordia videtur obligatus procurare illam tollere; si enim ipse ex charitate sui, quæ strictius obligat, non obligatur statim illam miseriam depellere, quare tu misericordia obligandus es procurare? Non enim coherere videntur te esse obligatum corrigere, & alium non esse obligatum admittere correctionem. Cum igitur peccator non statim ac peccat, teneatur de peccato conteri, (vt ferè omnes doctores fatentur, cum D. Thom. 4. dist. 17. quest. 3. art. 1. questionecula. 2. ad 4. Sotus, ibid. questio. 2. articulo. 6. Dur. questio. 10. Ioan. Med. Codic. de poenit. quest. 6. Nauarr. in sum. cap. 1. num. 27. & 29. Suar. de penitent. disp. 15. sect. 5.) non teneatur correctionem admittere, quæ sibi tunc adhibetur. Ergo nec tu videris obligatus illi correctionem facere. Et confirmo. Peccatum proximi non po-

tes tollere per correctionem immediatè, sed media voluntate ipsius peccatoris. Ergo quando peccator non teneatur apponere suam voluntatem ad tollendum peccatum, non teneris tunc correctionem apponere, cum correctio ad tollendum peccatum proximi ordinetur, quod tolli non potest nisi media voluntate ipsius. Quodque satis à Christo Domino videtur insinuat illis verbis, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus corripere eum inter te, & ipsum solum; si tenon audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes: si illos non audierit, dic Ecclesiarum Ecclesiam non audierit, sibi sicut ethnicus, & publicanus. Si enim ipse peccator nec te, neque testes, neque Ecclesiam teneatur audire, quomodo iudicandus es frater ethnicus, & publicanus? Ergo quando nullo modo obligatur correctionem admittere, præceptum correctionis videtur cessare.

8 Argumento pro contraria sententia respondeo, existentem in peccato mortali habituali in graui miseria existere, at non in graui necessitate ab illa surgendi, cum non inferat tempus penitendi, & existimetur illo adueniente fore vt peniteat. Ex quo tamen, quod proximus potest absque peccato cedere bono per correctionem sperato, non obligaris ei illud procurare, quia media eius voluntate procurare debebas. Ad confirmationem dico obligationem in peccatore surgendi à peccato, & in corrigente illum corrigendi à diuersis virtutibus orti. At vna obligatio cum alia connexa est, quia correctio media voluntate correcti effectum habere debet, cuius voluntas nisi actetur correctionem admittere, obligatio in corrigente efficac esse non potest.

PUNCTVM III.

Sicut proximus constitutus in obligatione peccandi venialiter, corrigendus ex obligatione.

- 1 Esse obligationem sub veniali aliqui docent.
- 2 Contraria sententia communis est.
- 3 Prima sententia probabilior videtur.
- 4 Satisfit rationi, num. 2. adducta.
- 5 Intelligenda sunt supradicta de peccato veniali, ex quo lapsus in mortale non timetur.
- 6 Si peccans venialiter subditus sit & ex eius peccatis religiosa disciplina labefactatur, Prælatus, mortaliter peccat non corrigens. Et idem est de aliis vicem Prælati gerentibus.
- 7 Ex sola dissimulatione peccatorum venialium, si occulta sint, non peccat Prælatus grauius.

ESSE sub obligatione venialis corrigendum, docet Caler. sum. verbo correctio fraterna Sotus. l. de regendo sermo. 2. quest. 2. concl. 3. Valen. 2.2. quest. part. 2. circa finem. Villalobos. tom. 2. sum. tract. 4. difficult. 2. num. 5. Lorca. disp. 41. num. 9. in editione Suar. disp. 8. de charit. sect. 2. num. 6. in medio. Ratio, quia hæc est quedam miseria, & maioris momenti, quam quilibet temporalis. Ergo si absque incommodo potes præcauere, cur non tendendus es?

1 Contrariam sententiam cõmunitè docent Doctores Paludan. 4. disp. 19. quest. 3. num. 4. Alen. lib. 2. sum. tract. 6. Bannes quest. 32. art. 2. dub. 1. Azor. lib. 12. cap. 4. quest. 4. Torres questio. 33. disp. 86. dub. 2. §. deinde. Reginald. lib. 4. cap. 25. numer. 333. Bonac. disp. 3. art. 4. part. 7. num. 3. Saa in sum. Romana, verbo correctio. n. 5. in addit. vbi si crimen sit veniale, non est adhibenda correctio. Quod intelligi poterat de obligatione mortali sicuti dicit Syluest. verbo correctio quest. 1. Mouentur, quia per peccatum veniale frater non est perditus. Ergo correctio, quæ ad lucrandum fratrem ordinatur, ex illo Matth. 18. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, in peccatis venialibus locum habere non potest. Secundò à peccatis venialibus facillimo negotio te potest quis liberare, vel in sacramento, vel extra. Ergo non indiget auxilio alterius. Terriò esset graue iugum hanc obligationem hominibus imponere, etiam omnes in periculo peccandi venialiter frequenter sint.

3 Tareor equidem ratione ductus probabilior mihi videtur primam sententiam. Esse, inquam, peccatum veniale non corrigere proximum in occasione peccandi venialiter constitutum, si speras fructum ex tali correctione. Et absque incommodo illam potes efficere. Moueor ratione adducta à Valen. Charitas, & amicitia, & misericordia in proximum non solum te obligat, ne illi consulas, vel adiuues ad peccandum venialiter, sed etiam ne permittas cedere, cum commode potes à casu remouere: sicuti in temporalibus non solum obligaris damnum eriam leue non inferre proximo, sed etiam præcauere, cum possis. Deinde vniuersi qui teneatur proximum, sicut seipsum diligere, volendo scilicet proximo ea, quæ teneatur velle sibi: sed teneatur quis sub peccato veniali velle in effectu, & procurare sibi immunitatem à quouis peccato veniali. Ergo etiam proximo. Dixi te obligatum esse sub veniali corrigere proximum venialiter peccantem, si speras fructum ex tali correctione, & absque incommodo illam præstare potes: quæ conditiones raro succedunt, vt optimè expendit Egid. de Coninch. disp. 28. à n. 27. & seqq. ac proinde regulariter excusaris à correctione peccantis venialiter.

4 Argumenta pro secunda sententia facta non videntur. Fatetur Christum mortaliter, non venialiter. At inde non inferunt non esse preceptum de corrigendo fratre peccante venialiter in illo precepto tacite inclusum, non quidem hic culpa graui, sed leui; quia leuiter, & secundum quid per peccatum veniale deperditur frater, & sic per correctionem lucratur. Ad secundum obsequendo facile posse peccatum venialiter se a peccato liberare, vt verò facilius liberetur, seu vt efficaciter liberetur, indiget correctione. Ad tertium dico non esse graue iugum, quia nec sapè speratur fructus ex correctione, neque constat de periculo proximi, neque facile absque verecundia eum potes corrigere.

5 Hæc dicta sunt de correctione peccati venialis, ex quo non timeatur lapsus in mortale, nam si hic timeatur, non leuis, sed grauis obligatio erit illud corrigendi, pro grauitate periculi, vt supra dicti Doctores docent.

6 Sed quid dicendum, si peccans venialiter subditus sit, & ob eius nimiam licentiam aliis ruina paratur, vel religio obseruantia labefactatur? Dicendum est teneri Prælatum non solum sub obligatione peccati venialis, sed mortalis, tales defectus veniales corrigere. Sic Sotus q. 2. concl. 3. de secreto. Lorca 2. 2. q. 33. disp. 4. §. 4. Bannes de charit. art. 2. dub. 2. Torres disp. 86. dub. 2. §. 3. dicens. Suar. disp. 8. de charit. sect. 2. n. 6. circa finem. Eman. Saa verbo correctio. n. 5. in edit. Roman. ibi simplex veniale in Prælato regulari necessaria materia correctionis. Agid. de Coninch. disp. 28. dub. 3. n. 24. vbi extendit obligationem ad quemlibet priuatum. Ratio est, quia obligatio non tam est ex præcepto correctionis, quæ bono spirituali proximi attendit, quam ex obligatione officij superioris, quo tenetur religiosam disciplinam conseruare, & nullo modo labefactandam permittere. At ex permissione defectum venialium, si graues sint, & nociui, solet religiosi disciplina nimium labefactari. Tenetur ergo Prælatus hanc diminutionem præcauere; Iudices verò seculares non ita ardentur hac obligatione corrigendi in subditis peccata venalia, nisi defectus essent reipublicæ graue nocumtum inferentes.

Syndici, visitatores, & alij vices Prælati gerentes tenebuntur Prælatum de defectibus admonere; & si in hac parte nimium dissimulent, & ex eorum dissimulatione religiosa obseruantia in communitate labefactari prudenter timeatur, peccabunt grauius. Sic ut Prælatus peccaret sciens tales defectus, & non corrigens, cum possentia Suar. & Lorca, & Agid. supra.

7 Ex sola tamen dissimulatione cum aliquo horum defectuum, si occultis sint, non existimo Prælatum peccatum grauius, cum ex illis, vt ipse occultis, non detur aliis occasio ruinae, neque ob illas, disciplina religiosa labefactetur, neque ipse religiosus in periculo proximo sit cadendi a statu religioso, vt suppono. Colligitur ex Bonac. disp. 3. q. 4. puncto. 7. aliter peccata venalia non esse corrigenda sub obligatione, nisi forrè talia sint, vt proxime disponant ad mortalia, aut magnum aliis afferant detrimentum. Et Suar. disp. 8. sect. 2. n. 6. circa finem. Tuuc maxime (inquit) poterit esse obligatio in Prælato sub mortali corrigendi venialia, quando defectus sint generales communitatis, quod si in communitatem non redundant, neque ex illis salus proximi in discrimine vertitur, non agnoscit ex quo capite obligatio corrigendi sub mortali possit oriri. Idem colligitur ex Torres disp. 86. dub. 2. sine. vbi postquam dixit superioris religionum obligari sub mortali ad reprehendendas consuetudines aliquas contrarias religioni subditorum. Idem dicere ego de obligatione Prælati ad reprehendum aliquem fraternam correctione propter aliquod genus peccati venialis nocuum religioni, v. g. propter impudica aliqua verba, aut consuetudinem iurandi, aut simile quid, quod religiosum maxime dedecet. Ecce quia ratione ex omnibus iis auctoribus constat Prælatum non esse sub mortali obligatum corrigere defectus veniales, nisi tales sint, qui religioni ob malum exemplum nocent.

PUNCTUM IV.

An necessarium requiratur, vt obliget correctio nis præceptum, cognitio in corrigente de fratris delicto, & in ipso fratre cognitio illius.

- 1 Cognitio moraliter certa de peccato gratis prærequiritur ad correctionis obligationem.
2 Si proximus est ignorantia inuincibili peccat, plures censent non esse necessariu corrigendum.
3 Probabilis existimo corrigendum esse.

1 Et ceteros Doctores sentiunt non posse esse obligationem certam de corrigendo fratre absque noticia moraliter certa de eius miseria, & necessitate: ita Adian. 4. quæst. de correctione. Nauarr. cap. 24. n. 12. Suar. alius relatus disp. 8. sect. 3. num. 1. Lorca 2. 2. q. 33. art. 5. disp. 4. §. 4. Eman. Saa. verbo correctio in editione Romana. vbi. si mortale incurrunt, non est adhibenda correctio. Villalobos. 1. 2. sum. tract. 4. difficult. 3. num. 1. Agid. de Coninch. disp. 28.

dub. 6. n. 87. adducique potest Sotus de secret. memb. 2. q. 2. concl. 4. & Torre 2. 2. q. 33. disp. 86. dub. 3. in principio dicentes requiri, & sufficere notitiam probabilem & prudentem, cum enim dicunt prudentem necessario expostulare debent notitiam delicti commisi, & committendi moraliter certam. Alias corripiens sine hac certitudine non amorem, sed iram, & odium in fratre excitaret, cum illi peccatum forrè non commissum obiceret, facillimòque negorio correctio eludi posset: & probari videretur satis ex illo Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus id est, te sciente, vt explicat August.

2 Difficultas maior est, an excusetis a correctione eo quod proximus delictum non cognoscit? Et quidem si id procedat ex ignorantia vincibili, & culpabili, clarum est te obinde excusari non posse, cum illa ignorantia non excuset proximum a peccato. At si ex ignorantia inuincibili legem transgrediarur, plures Doctores docent te obligatum non esse. Qua ratione dicunt nullam esse obligationem monendi comedentes carnes die Veneris, vel non audientem Missam die festo, si ignorantia inuincibili præcepti laborat. Tum quia proximus non est absolutè in statu spiritualis miseria, cum non peccet, tum etiam quia præceptum correctionis est de peccato proximi, iuxta illud, si peccauerit in te. Ergo vbi non adest peccatum, non est obligatus, & ita tenet loquens de ignorantia iuris positui Bannes, dub. 3. q. 33. art. 5. Nauarr. cap. 24. numero 12. & 13. Valen. disputatio. 3. questione 10. punct. 2. §. cum tamen Villalobos tract. 4. difficult. 4. numero 6. Bonacina disputatio. 3. de charitate q. 4. p. 7. numero. de qualibet ignorantia id affirmat, modò non vergat in graue detrimentum ipsi sui delinquentis, vel tertij, neque obligatus sit ex officio.

3 Ego verò existimo siue obligatus sit ex officio, siue non, siue ignorantia sit iuris positui, siue naturalis, si ex monitione speratur fructus, te teneri, sic transgredientem legem, monere. Tum ob reuerentiam ipsius legis, tum quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto nen impunitur culpa. Ergo est materia doctrinae, vel correctionis, & obiecum spiritualis elemosinae. Adde regulariter ex transgressione materiali legis sit quis facilis ad formalem illius transgressionem. Ergo si commodè potest hoc periculum vitare, quæ causa esse potest, vt excusetis? Denique si transgredientes legem non corrigis, cum possis, tacitè denotas eam transgressionem approbare, & scandalum generas. Et quidem si ex officio obligeris, vt si sis superior parochus, confessorius, & dominus, ferè omnes Doctores tenent te obligatum esse, quia ratione officij teneris subditos instruere in obseruatione præceptorum. Item teneris procurare, ne aliis scandali occasione præbeant, quod ipse transgressione materiali legis causatur. Deinde impedire, ne alij intelligant subditorum errores te approbare: sic Thom. Sanch. lib. 2. de matrim. disput. 38. numer. 5. Valen. 22. disput. 3. quæst. 10. p. 2. §. tertio certum est. Et adducit Gregor. Hom. 11. in Ezech. & Paulum. Ebonum 20. Non enim subuersi, quò minus annunciarer omne consilium Dei vobis. Bonac. disput. 3. de charit. quæst. 4. p. 7. n. 10. At quando ex officio non obligaris, docet Lorca disput. 41. numer. 15. Suar. disp. 8. sect. 1. numer. 6. Azor. lib. 11. cap. 15. quæst. 4. & 5. Valen. & Villalobos. supra. Plures tamen ex iis Doctores solum in iure diuino, & naturali id admittunt: nam in ignorantia iuris positui iam diximus te tenere non esse obligationem monendi: sed quia eadem videretur esse ratio de vtroque, scilicet reuerentia legis, & transgressio materiali illius, & malitia ignorantia, ideo de omnibus dicimus esse obligationem monendi, seu corrigendi: & ita tenet Coninch, disp. 28. dub. 4. n. 38.

PUNCTUM V.

An requiratur necessarium spes fructus, vt correctio sit in præcepto, & quæ spes futura sit.

- 1 Spes fructus necessaria requiritur.
2 Non est opus statim fructum sperare, sufficit, si de cursum temporis speretur.
3 Spes fructus probabilis sufficit ad obligationem correctionis.
4 Quando dubius est, an correctio profutura, vel obfutura sit, nulla est obligatio.
5 Secus si dubius sis de profectu, ac securus non illaturus damnum.
6 In extrema necessitate in dubio de profectu, & de nocumtum adhibenda est correctio.

1 Communis sententia affirmat cum D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 6. necessarium requiri spem fructus, alias correctio esset otiosa, ideoque dixit August. cap. si quis, de penitent. dist. 7. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem. Neque aduertus hanc communem doctrinam obstat Sanch. lib. 2. de matrim. disput. 38. num. 2. affirmans laborantem ignorantia vincibili, & culpabili, si ad confessorium accedat, monendum esse, etiam si confessorius iudicet non profuturam monitionem; quia vt bene ipse Sanch. explicat, etià non proficit monitio, vt a peccato desistat, pro